

1570 fato Rochasius Comes abripitur, qui suorum militum manu redintegrare pugnam connixus, glande plumbea percussus, occubuit. Eo amisso, reliqui alius alio dilapsi, fuga salutem quaesivere. Verum in Constantii, Davilæ, ac Tripolitani munitio-
nibus acriter adeo pugnabatur, ut tribus post solis exortum elapsis horis, adhuc Turcæ ex aggere dimicantes nihil proficerent; cum tandem, multitudine exundante, circumfusi, frontes deferere, atque adversi cum hoste a tergo invadente, configere coacti, undique circumventi, profligantur, cæduntur, ac crudeliter obruncantur. Pauci ex Italico peditatu, per medios hostes contis aditu patefacto, in angustas urbis semitas fortiter dimicando, Turcarumque impetum repellendo, sese recepere. Agrestium copiarum subsidio missæ, ingentem nostrorum interuiccionem ac stragem, hostemque civitatem ingressum cernentes, nullis adhortationibus, nulla vi, aut auctoritate sisti potuerunt, quin, passim abjectis armis, supplices se hostibus dederunt, a quibus statim confossi deperibant. Neque Petri Pisani consilarii, aut Bernardini Polani Salinarum præfecti auctoritas, aut virtus labentes erigere potuit. Nam Polanus inter confertam multitudinem dum retrahere ad pugnam quotquot potest, contendit, eodem lethi genere extinctus est. Jamque nullo ordine, nullis imperiis per vicos, ac semitas pugnabatur; oppidanorum ejulatus Turcarum acclamationibus, civium gemitus hostium ululatus permixti exaudiebantur.

Qui e nostris supererant milites, forum occupant; magistratus eodem conveniunt; ac licet casu urbis perculsi, equis alius alias vecti, viarum ostia obstruere, hostibusque aditum intercludere conantur. Acerrime per duas horas dimicant; ingruentes hostes pulsi; donec Aleppi Bassa cum equitatu superveniens, statim duos viarum exitus interceptit. Eo cum res deducta esset, jamque suprema clades instaret, Dandulus summus præfectus, Paphi Episcopus, alique ex civium primoribus intra regias ædes sese recipiunt. Bassa, tribus ex moenibus tormentis in forum convehi jussis, eos, qui adhuc strenue pugnabant, perterrefactos, turbatis ordinibus, locum relinquere coegit. Quorum plerique in ædium publicarum atrium conferti sese intulere, reliqui per vicos palantes, ac dispersi, aut